



PRÆFAMEN.



Orborum varii generis in Scripturâ Sacrâ mentionem fieri, non ignotum esse poterit iis, qui in eâdem evolvendâ sedulam collocaverunt operam. Utrumque sanè Testamentum peculiare quosdam & prorsus singulares nobis exhibet, quibus recensendis paucillæ hæ lineolæ vix sufficiunt. Quis ignorat luem illam foedissimam, quæ sub *lepra* nomine toties proponitur, quâque præ reliquis populus Judaicus valdè infestabatur, adeò, ut (quod miratu maximè dignum) ne ædes quidem vestesque ac vasa ab hoc malo servari potuerint. Ac morbus profectò ejusmodi fuit *Lepra*, ut magna adhuc vigeat inter Medicos rerumque naturalium curiosos Scrutatores disceptatio, quænam genuina ejus natura aut ortus causa fuerit. Nec minùs hoc notandum venit, quod ipse Deus præfractis legis suæ transgressoribus morbos minetur, qui ipsorum corpora non sine magno dolore sint consumpturi; *Tabem* puta, *terrorem*, *Intumescentiam*. *Levit. XXVI, 16*. Et is rei ipsa postmodum ostendit, quàm facile in pravorum hominum perniciem concitare posset malum, quod eos non sanitate solùm, sed vitâ etiam ipsâ privaret.